

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 4. (*Neovidensis* 1807. Nro. 1.)

---

*Secretum litterarum Commercium  
Vivos inter et vita functos.*

Annus 1807 successori Suo Anno 1808.

*Ex abyssu aeternitatis.*

---

*Clysiu-Meum.-Die Veneris. 15 Jan. 1808. (Neov. I. Ian. 1808.)*

---

**P**ostquam res meæ eo loco sunt: ut jam mihi dicatur: collige sarcinulas, mundo vale supremum dicturus, successor enim tuus præ foribus instat! tum animo prospiciebam, in discessu lamentationes, querimoniasque futuras; verum quam opinione deceptus, delusus sum! omnes homines discessum opperiebantur meum alacres hilareque; cumque hodiernæ noctis 12 h. a mundo meoque regimine decessissem, nihil nisi gaudia voluptatem, clamores audiebam: *Faustae Calendae Jani!*

Hac ego occasione homines didici nosse; gratulabantur se anno uno seniores, tumulo propiores, incerta alius temporis ingredi, infirmiores esse.

Vide Care Frater! talis est mundus, tale argumentum profundi mæroris, tales sunt homines, quibus tu — utique diutius, quia bissextilis es, præeris. Equidem in abyssum æternitatis præcipitatus sum, scire te oportet, dilecte Frater! me eruditorum ex ordine non fuisse,

meo sub sceptro solummodo libelli, *incendiaria frusta, situlae* restinguendo incendio aptæ, & similes nœniæ in lucem prodibant, nullum memorabile opus vulgatum, scientiæ nunc modicis vasculis impositæ sunt; id quidem benevole svadere tibi vellem: ne *doctus annus* sis, sed *grata simplicitate* incedas, non sublimi stylo moreque feraris; doctos eruditosque viros nimis quam metuebam; crede mihi (vera enim loquor) homines inter eos censentur, qui se Diis prudentiores existimant; auctore universi sapientia præstare stolide imaginantur; sæpenumero tanta de se fiducia loquuntur, ut alter, cui tamen & sensus inest, & justis notio, delassetur, vix spiritu non excludatur; seque (cum indignatione dicitur, dicendum tamen) adeo doctos arbitrantur, quam, molliter ossa cubent! Philosophorum Phoenix *Cantius* — hos tu homines, & similis farris, tu quidem, si sapis, vitabis, eorumque consuetudine abstinebis; quippe postremum ita caput homini perturbant, suisque incantationibus infascinant, ut quo loco sit, ignoret

Sedecim confratres nostri, qui me præcessere, adeo abundabant memorabilibus horrissonis, & tœdiosis eventibus, ut primis sex eorum cum veritate *ruinatorum* nomen indere possim; tum sequebantur alii, quos jure merito *heroicos* possis adpellare; ambo elementa: *aqua & terra* colliserunt; & ambo in mutua dimicatione heroes magosque viros protulerunt.

Quid facti opus erat? heros maritimus continuo, fervidos in continente patronos quæsivit, & heroi terrestri usque colluctandum erat, quo

cum omnibus, qui Neptuno adhæsere, pacem fecisset; Jam Europæ heros continentis reconciliatus est, multis id bellis, multo sanguine stetit, usque res eo perduceretur, ut dominatores terrarum adversus Neptunum, qui omnibus maribus in orbe imperare vult, commoveantur; at me regnante, *pax Chronopolitana* id ad felicem effectum perductum est; eram igitur novissimus annus *heroicus*, — qui seculum Alexandri Magni recolui, & jam novi eventus incidere, in quorum argumento & novis præceptis imbuere te debeo.

Quam nobile te manet officium? Anno 1808 venerabile nomen *Mentoris* seu *educatoris* conferendum est; tuarum erit partium humano generi aliam educationem, tam in ratione politica, quam physica impertiri, aut saltim educationem hanc auspiciari — memorabilem hanc adeo obligationem, paucis adverte, tibi explicabo:

Omnia in Europa per decursum heroicorum annorum mutata sunt; Reges remoti, aut saltim angustioribus circumscripti. Pax Westphalica evanuit, novæ regiminis formæ, novæ leges, novæ constitutiones introductæ sunt, ut igitur homines novis his principiis imbuere possis, te dilecte Frater! *Mentorem* agere oportet, quæcunque ad præsens in Scholis de *Jure veteri publico*, aliisque legitimis mediis docebantur, necquidquam valent amplius; libri veterum Doctorum piperi involvendo fortassis adhuc applicari possunt; novam temporibus adcommodatam eruditionem inducere tui est muneris; an non id *Mentoris* officium ?

Verum aliud grave argumentum denominationem *Mentoris* tuam propugnandam habebit; Ex uno, & quod excurrit, seculo homines in Europa voluptate: merces ex aliis orbis partibus utendi, se inescare siverunt. Pro jentaculo adhibent potum arabicum, Caffè, & herbam Theam, condiunt dapes aromatis ex utraque India petitis, imò, quod amplius est, ipsi medici pharmaca ex aliis orbis partibus accersunt, ad machinas corporeas restaurandas; Calculatores politici summam pecuniarum, quot annis pro id genus mercibus ex sola Germania elicitarum ad 30 — 35 Imperiales æstimant; præterea & alia circumstantia accessit; prope ex 20 annis Angli artificiosas machinas excogitarunt, quibus elegantissima fabricata & texta adhibitis paucis operariis, proin leviore, ac alii, conficere norunt. Pro his mercibus ingens æris vis in Angliam traducitur. Hoc commercium præprimis Germaniæ noxium est, quod nulla ex ea producta Angli petant.

Talis opum fons potentias maritimas in æmulationem traxit; quævis ex eo haurire cupiebat; donec Angliæ potentia maritima adeo increvisset, ut nullum concurrentem, æmulum nullum sustineret, sed sola in vasto dominari vellet Oceano. — Atque tali usurpationi reliqui Status, præprimis Gallia, semet opposuit; ut durante Gallicana revolutione Anglia illud lucri privati studium indicans semper secuta principium: reliquorum Statuum maritimarum vires attenuare, earum naves adimere, earum Classes — per vices ad incitas redigere; Et re-

Verum aliud grave argumentum denominationem *Mentoris* tuam propugnandam habebit; Ex uno, & quod excurrit, seculo homines in Europa voluptate: merces ex aliis orbis partibus utendi, se inescare siverunt. Pro jentaculo adhibent potum arabicum, Caffè, & herbam Theam, condiunt dapes aromatis ex utraque India petitis, imo, quod amplius est, ipsi medici pharmaca ex aliis orbis partibus accersunt, ad machinas corporeas restaurandas; Calculatores politici summam pecuniarum, quot annis pro id genus mercibus ex sola Germania elicitarum ad 30—35 Imperiales æstimant; præterea & alia circumstantia accessit; prope ex 20 annis Angli artificiosas machinas excogitarunt, quibus elegantissima fabricata & texta adhibitis paucis operariis, proin leviore, ac alii, conficere norunt. Pro his mercibus ingens ætis vis in Angliam tradacitur. Hoc commercium præprimis Germaniæ noxium est, quod nulla ex ea producta Angli petant.

Talis opum fons potentias maritimas in æmulationem traxit; quævis ex eo haurire cupiebat; donec Angliæ potentia maritima adeo increvisset, ut nullum concurrentem, æmulum nullum sustineret, sed sola in vasto dominari vellet Oceano. — Atque tali usurpationi reliqui Status, præprimis Gallia, semet opposuit; ut durante Gallicana revolutione Anglia illud lucri privati studium indicans semper secuta principium: reliquorum Statuum maritimorum vires attenuare, earum naves adimere, earum Classes — per vices ad incitas redigere; Et re-

vera cessit ei consilium prospere; adfirmarique potest: ex revolutione Gallica plurimum emolumentum in Angliam redundasse; utpote mari se potentissimam efficiendo; si revolutio non fuisset, tum Gallia facili opere omnes status, prout Americano bello factum, ad fœdus traxisset; eosque adversus Britannicam maritimam Monarchiam concitare potuisset. Post revolutionem jam actum erat, sero medicina parabatur; Britannicus enim Neptunus Tridentem firmis jam tenebat manibus.

Quid faciendum restabat? Gallia bellum in Continente gerebat; quod continentis potentie Angliæ adhærebant; Gallia armis omnes Continentis Status eo perducere debuit: ut partibus Anglorum decedant; & oppositam amplectantur. — Id opus tandem pace Chronopolitana perfectum est — omnes Europæ Status portibus suis naves Anglicanas prohibent, nullas merces ex Anglia amplius invehere admissum est.

Jam nunc, dilecte frater! tuum incipit negotium; Annus 1808 novam educationem Europæorum agitare debet; eos ad abstinentiam Anglicanarum & colonialium mercium educando. habet; non leve hoc est argumentum; quæ, amabo, ratione ora dulci potui fabæ arabicæ assveta ab eo desvesieri poterunt? sed: ferrum frangit necessitas; merces coloniales non adferentur amplius, si rigidum hoc præceptum semestri tantum duraverit; quo fiet: ut educatio violenta ratione facilis reddatur; at Angli perpetuum bellum gerere volunt? ergo & perpetuam idmodi mercium abstinentiam; medici in

vicem Corticis Peruviani in cortice saligno roborantia remedia quæsituri sunt; jentsculum pro more veterum Germanorum ex vino vel cerevisia præparabunt; veteres Germani fortes illi & robusti viri prodibunt, & prout Cæsaris aetate gigantes erunt; roborique, cujus per aromaticos potus jacturam fecerunt, postliminio restituentur.

Divina providentia Terricolis ubivis, quæ inhabitant, locorum, alimenta præparavit, ipse sub inclementi Polo Laponiæ incola cura est ejus; quod si Germanis Fabæ arabicæ usum necessarium censuisset, agris Germanicis eam producendi vim indidisset; prisci Alemanni absque hoc fructu & longo tempore & beate vitam egerunt, cur nos posteri eorum non possemus?

Quapropter, macte animo, ad gredere opus novæ educationis dilecte Frater! educationis, ad nova regimina, ad abstinentiam ab Anglicanis mercibus. Veniet tempus, veniet inquam & fortassis jam prope adest, quo tuum, dilecte Frater! pretium perspicietur, cataractaque ab oculis occæcatorum tolletur, quo jure merito de te pronunciabitur: Annus 1808 Europæis primam doctrinam de abstinentia colonialium mercium impertivit, primus is erat *Mentor*, eos priorum productorum docuit usum, causaque est: quod, cum nemo coloniales merces emat, nihil Anglis restet, quam eas mari injicere; pecunia domi manet; & posteri læti vocifera buntur: Annus 1808 primus erat *Mentor* educatorque felicitatis nostræ — O terque quartæque faustæ Jani Calendæ! MDCCCVIII

N  
Nr

Elysiu

L  
Statu  
siæ in

Cæsa  
script  
talem  
rum  
cum  
jam s  
tracta  
impõ  
ri lic  
in pa  
posse  
diatio  
pia;  
dam  
proin  
hil in  
cipio  
se in  
genus